

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Arborem scientiae boni et mali, protoplastis interdictam  
ex Gen. II,17**

**Mayer, Johann Friedrich  
Ziegra, Georg David**

**Vitembergae, 1718**

§. 28.

[urn:nbn:de:bsz:31-130464](#)

Traditionem inde & Prophetis usque receptis: quod nisi peccasset Ad-  
dam, vixisset in seculum. Et sic dicit Scriptura Psal. 82. 6. Ergo di-  
xi, Dii estis vos, & filii excelsi omnes vos; Non dicit: sicut dli, & sicut  
filii excelsi; sed Dii reversa, & Filii excelsi reversa. Et plura sunt in hanc  
rem Scriptura dicta. &c. Prolixior adhuc est R. Moses Gerundensis,  
cujus tamen verba, ob pagellarum angustiam, adducere non licet.

§. 28. Certum itaque est, primum hominem totum, qva An-  
nimam corpusque simul, a Deo immortalem esse creatum, ita ut, si  
non sua sponte peccasset, ab omni non solum Morte, sed & morbo-  
sa morte, per naturam plane immunit fuisse futurus. Et nu-  
gatorum est, quod Photini distinguant inter mortem ipsam &  
moriendi necessitatem, dicentes: Moriendi quidem necessitatem esse  
effectum comminationis illius, non vero mortem ipsam, propter-  
ea, quod haec Adamo fuerit naturalis. Quid enim obsecro est mors  
naturalis, quam moriendi necessitas? qvi natura mortalis est, is ne-  
cessario moritur per naturam. Et si mortalitas est consequens na-  
turæ hominis, integræ & recens conditæ, fieri nequit, qvia mors i-  
psa consequens naturale dicenda sit. Quid enim mors naturalis fa-  
cit aliud, quam quod in actum deducit id, ad quod antea natura est  
deposita & facta. Certe mortalitas eo ipso per comminationem di-  
vinam homini infligenda dicitur, quo indicatur, illum morte mori-  
turum. Neque enim actus mortis factus est ad commissionem pecca-  
ti, sed omnino divinitus praesinitus, post aliquot demum tempora  
subsecutus. Nec opus est, ut distingvamus inter mortem & mor-  
talitatem. Fluit enim ex hac mors infallibiliter per naturam con-  
creta immortalitatem destitutam, ut omnino unde fluit mortalitas,  
inde etiam mors ipsa suas habeat radices.

§. 29. Quam vero Mortem primis nostris parentibus  
Deus comminatus fuerit, paucis adhuc proponam, unde nec  
Adversariorum circa hanc rem errores proferre animus est,  
sed uno verbo mortis nomine in comminatione Protoplasmæ  
facta merito accipi dico, qvicquid in sacris literis sub mortis no-  
mine comprehenditur. Mortem enim corporalem vel tempora-  
lem, qvæ dissolutio est animæ a corpore divinitus destinato  
tempore obeundam hic intelligi patet, qvia usitatissima